 IOHANNI COCCEJO MARTINUS HUNDIUS.

S. P. Reverende Clarissime vir, Affinis multum suspiciende;

Accepi jam dudum tuas benevolentiæ plenissimas cum munere, quo me tibi devinxisti usque adeo, ut nesciam qua ratione tibi gratias agere debeam, vel possim, nisi forte diligentem tractatus tui lectionem et perpetuam auctoris venerationem in earum locum acceptare velis. Hoc enim officii et gratitudinis genus tibi ex animo stipulor. Febris, quæ me aliquamdiu corripuit, iter meum Clivense, ut et inopinata mors collegæ mei Dni Spexmanni p. m. sympathetici tui (quo negotia mea eousque multiplicaverat ut ferendis iis vix par essem) in causa fuerunt, quo minus ante aliquot septimanas tibi respondere cum aliis [illegible] potuerim; connivebis in hoc peccatulo pro bonitate tua; et si postea tua studia frequentius interturbem, imputabis id nullatenus portioni amori quo te colo, potius propriæ tuæ facilitati, qua excitatum mihi literarum commercium non permittis modo; sed etiam ad id ultro invitas; gaudeo profecto ex animo Deoque gratias ago, quod mihi contingat esse tam felici, ut viri docti me nec discipulum nec amicum dedignentur. Nondum licuit mihi perlegere duodecim prophetas tuos ob memoratas jam causas; præfationem tamen percurri, tale studium eam attentius ingrediens, ut clavem illam tuam, qua scripturæ propheticæ sensum nobis aperis, tanto melius perspiciam, eaque feliciter uti discam, accendit ea jam modo nescio quam lucem et facem in intellectu meo, sed tamen needum nisi homines velut arbores ambulantes cerno; necesse deo donante visus sit ad singulorum prophetarum interpretationem mentem curatius applicuero. Interdum deploro, quod organum et linguam et memoriam assuefecere versioni Lutheri turbat ea et impedit saepius genuinam textus intelligentiam et sensum; medetur quidem huic vitio nonnihil sanctæ et Græcæ linguæ aliqualis cognitio; nihilominus ex accuratissimis tuis observationibus percipio me diversis in locis ubi me certum putabam, multitudine interpretum in errorem consentientium abreptum et deceptum turpiter impegisse; video insuper ad intelligendum plenius scripturas hoc tuam requiri saeculorum præteritorum rerumque iis gestarum exactam cognitionem et memoriam quibus me (excepto paucorum locorum ut præsertim ex ecclesiasticis historiis lectorum) carere lubens fateor; et absterret me adhuc nimia istius studii prolixitas et taediosa authorum, quorum lectionem postulat, copia: movit me multum pia ista tua et hodie summe necessaria adhortatio ad dignoscenda temporis nostri signa; mutabit ea forte meam, quam hactenus observavi, concionandi methodum, in multis meliorem. Dum hæc scribo mittitur mihi a socero meo Editio secunda libelli tui de fœdere Dei; quam pro liberalitate tua mihi dono das; gratias ago tibi ut the decet maximas; habebam quædam dubia, quæ hinc scrutinio committere volebam, sumpta pleraque vel ex schola patrio tua ubi prima philosophiæ ac Theologiæ fundamenta posui, vel ex Academia Salmuriensi ubi profundissimum Placæum, promptissimum Amyraldum ea docentes aliquando audivi; quæ cum nonnullis scripturæ [illegible] sententiis haud satis conveniunt et tamen omnino dei verbo destitui non videntur; premis eos nonnullibi nervose admodum sed nescio an eo usque supprimis ut non facile possint emergere atque eludi; sed quoniam hanc secundam editionem, ut conspicio, a te auctam et illustratam ex titulo perspicio; differam ea, quæ movere volebam; donec e manibus collegæ compactus ad me redierit ea relectus fuerit libellus tuus, ne forte a te postulem ut actum agas: Deus interim te in Ecclesiæ suæ bonum diu superstitem nobis præstet; tuosque omnibus (quibus a nobis a nostris multam salutem dices) pro voto largissime benedicat. Sic ex intimo cordis affectu orat

Reve. ac Clariss.
tuus
devotissimus cultor
Martinus Hundius.

Dabam [illegible] die [illegible]
Bonnii. anno 1654.
[illegible]

8. pagina
fol. 696.

Reverendo Clarissimo
viro Dño Johanni Cocceio
SS. Theologiæ et Linguæ
sanctæ professori in Aca-
demia Batavâ quæ
est

Lugduni Batavorum

A Monsieur

Monsieur Coccejus
Docteur et professeur
en theologie etc.
à
Leiden

par amys jusques
a Amsterdam
Mett en paegen

4